

LECTIO SEPTIMA DECIMA

PLINIUS MINOR BESZÁMOLÓJA POMPEJI PUSZTULÁSÁRÓL

C. PLINIUS TACITO SUO SALUTEM DICIT.

Petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago; ...

Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi ut urbes, memorabili casu, quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet. ...

Erat Miseni classemque imperio praesens regebat. Nonum Kalendas Septembres hora fere septima mater mea indicat ei apparere nubem inusitata et magnitudine et specie. Usus ille sole, mox frigida, gustaverat iacens studebatque; poscit soleas, ascendit locum ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. ... Egrediebatur domo; accipit codicillos Rectinae Tasci imminenti periculo exterritae ...: ut se tanto discrimini eriperet orabat. ... (Avunculus) deducit quadriremes, ascendit ipse non Rectinae modo sed multis ... laturus auxilium. ... Interim e Vesuvio monte pluribus locis latissimae flammae altaque incendia relucebant. ... Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque; ... Ubi dies redditus ..., corpus inventum integrum illaesum opertumque ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior.